

Etè habent verba *Thomæ Comptoni Carletonis qui in Theologiâ Scho-*  
*last. Tom. Priori disp. 7. Sect. 2. n. 6.* ita hanc in rem pronunciat; esto:  
*ex hoc Dei prædicato rectè per consequentias quasdam deducatur,*  
*eum esse infinitum, non tamen idem formaliter & directè est, esse in-*  
*creatum, & esse infinitum, sed tanquam duo diversa attributa à S.*  
*Thomâ & Theologis semper sunt habita.*

Th. XII. Restat nunc omissis aliis hâc de re sententiis, ut  
nostram quoque afferamus sententiam, seu eam cui adstipulari  
volumus. Dicimus verò & præmonemus: Quòd infinitas ratio-  
ne & vi vocis spectata dicat negationem finis seu termini, sic-  
que infinitum est, quòd nullis continetur terminis, hocque modo  
si infinitas concipiatur, latè patet extenditque se per omnia attri-  
buta divina positiva. Omnia enim quæ in Deo sunt, ita insunt,  
ut nullis contineantur finibus. Sic essentia Dei quoque per id est  
infinita, quòd nullis continetur aut circumscribi potest terminis:  
Parili ratione Scientia, Potentia ac sapientia, reliqua attributa Dei  
positiva infinita appellanda veniunt. Quando itaq; infinitum h. m.  
nimirum vi vocis & generalius spectatur, formaliter dicit negatio-  
nem finis seu termini: Et cum de aliis atq; aliis distinctis attributis  
affirmativis hâc ratione considerata infinitas, concipitur tum spe-  
cificam quasi formalem denominationem accipit ab illo distincto  
attributo, de quo prædicatur. E. g. cum potentiam Dei dico in-  
finitam, tum infinitas generalius & vi vocis concepta specialiter  
dicit negationem finis potentia sc. activæ, vel etiam ratione ob-  
jecti & possibilis, in quantum objectum divinæ potentia statuitur.

Th. XIII. Verùm quando infinitatem peculiare & à ceteris  
distinctum attributum constituimus, res paulò aliter se habet.  
Tum enim duo importat: Unum complexionem quandam per-  
fectionum omnium possibilium, per quam ens h. m. Infinitum  
seu Deus, est omnia, seu est quicquid est perfectionis sine imperfe-  
ctione: alterum negationem termini seu terminabilitatis, per  
quam formaliter perfectio illa vel potius perfectionum complexio  
infinitatis rationem habet. In quo nobis præivit Decus & Lumen  
nostræ Salanæ splendidissimum, in adversarios verò veritatis ful-  
gura emittens *D. Job. Musæus in lect. publ. super loc. Theolog. nuper*  
*ad finem perductis cap. II. de essentiâ Dei & attributis Negat:* Hoc  
poste-